

ventur, Constitutionibus, sed armorum potius vi et felicissimi cuiusque, qui rerum potiri sciat, victoria: aut sunt, quae ex isto statu quasi praeparatorio prodire civitatum formae et compositiones, certae et duraturae, quamvis in singulis momentis et rerum ad civitatem administrandam necessitatibus nondum satis definitae. Cuius rei discrimen facile est visu. Status enim militaris rerum publicarum incertus est ob formulae, qua gaudeat civitas, defectum: quem vero effecere leges ab summo rerum principe propositae et tutela publica firmatae certus et firmus: ille brevis ipsa natura sua et violentus, hic perpetuus et infinita quadam ad ultimam perfectionem provehendi capacitate insignis adspicitur. Quodsi remotus sit internorum bellorum strepitus et de principatu contentiones sopitae, incipiunt statim dominantium curae de confirmanda, quae ipsis placuit formula: arma vel abiiciuntur vel in externos tantum feruntur, non in cives, quos dehinc legibus non armis obedire iubet civitatis ratio et finis. Inde fit ut leges iam ferantur, antiquato imperii militaris, quod antea fuit, rigore: magistratus constituentur, remotis a civitatis regimine militum ducibus et imperatoribus: civilis auctoritas et potestas evchatur, contempta ea, quae primordio fuit melioris conditionis praeparatrix, pugnarum et castrorum obsidiorumque vi et superio-

ri-